

Legatio ad Gedanenses à Sigismundo primo rege Poloniae missa. 1525.

190  
Cum dudum controversia et animorum dissensio in hac insigni civitate exorta fuissent, serenissimus dominus noster rex, clementissimus atque pacis princeps, qui subditos suos clementia ac gratia sua prosequi consuevit, ad huiusmodi dissidia sedanda, pacemque et concordiam procurandam nuntios suos huc mittere destinavit. At cum id minus necessarium esse affirmaretis, eo quod omnia apud vos tranquilla et pacata dixeratis, pro votis vestris sententiam mutavit.

Interea tamen nihilominus periculosi motus multifariam emergerunt, cum alias saepe, tum proximis praeteritis diebus, quae res ad maiestatem regiam à plerisque relata, propter sui indignitatem fidei locum non invenit, donec eam vestris literis ipsi significaretis, quibus et polliciti estis nuntios vestros ad comitia Piotroviensia, qui cause conditionem declaraturi fuissent, admissuros. At cum diu expectati si quod maiestas sua miratur, si minime venissent, et maiestas sua sciendi desiderio teneretur, nos huc amandavit, ut totius negotii serie diligenter inquisita et ex vobis intellecta,

rem ad suam maiestatem quanto citius  
referemus.

Ceterum cum serenissimus dominus rex  
noster insignis christiane pietatis princeps  
ad publicam quietem animum regium sem-  
per intendat, precipue tamen ea meditari  
concrevit, quibus subditorum suorum concor-  
dia, pax et mutua charitas coalescere,  
publica et privata civium fortuna incre-  
mentum accipere possint, quibus cum  
predicta dissidia vehementer repugnent, non  
abs re sua maiestati regie adversa ac mo-  
lesta esse deberent, nisi maiestas sua cum  
incolto regni senatu facile expenderent tam  
graves et praecipites motuum huiusmo-  
di tempestates, sine causa quapiam ar-  
dua haud quaquam oriri potuisse.

Ut autem maior incommodi et tur-  
barum aestus in posterum vitari, et re-  
gii subditi ad quietem et concordiam re-  
duci possint, decrevit maiestas sua, licet  
aliis arduis negotiis prepedita, vos: quod  
utique non potest non esse iucundum  
et plausibile: in propria persona brevi, do-  
mino fortunante invisere, omnes differenti-  
as, dissidia et animorum acerbitates inter  
vos et alios passim in Prussia exortas,  
commodissimis ut fieri potest rationibus,  
Deo adiutore sedare, pacare, et penitus sus-  
tollere, pacem et tranquillitatem procurare,

ac omnes et singulos hominum ordines  
 in bonum ac felicem statum componere,  
 et preterea quidquid in rem et fortunas  
 vestras, aliorumque subditorum suorum esse  
 possit, vestromet ac aliorum primatum  
 Prussiae communi consilio deliberare et con-  
 stituere, quae maiestas sua per nos signifi-  
 ficari vobis voluit, ut interea iuxta pri-  
 vilegiarum vestrorum continentiam, ad huius-  
 iusmodi iucundum suae maiestatis adven-  
 tum, omnia recte curare et dirigere  
 possitis.

Proinde clementer hortatur, et severius  
 maiestas sua mandat, ut interea tempore  
 nihil à modo innovetur, aut quidpiam quod  
 novos motus excitare posset ullo pacto  
 attentetur, sed cuncta usque ad huiusmo-  
 di felicem maiestatis suae adventum, si-  
 ne mutatione aliqua quieta et pacata  
 permittatis.

Nec vos maiestas sua latere vult  
 ad domini magistri Prussiae diligentem so-  
 licitationem in negotio induciarum ad fe-  
 stum Epiphaniae, diem Posonij constitutum  
 fuisse. Verum cum maiestas sua satis per-  
 calluisset principes, quorum arbitrio res com-  
 missa fuit, in propriis personis eo non  
 venturos, è re suae maiestatis et regni fore  
 non est arbitrata, ut tam ardua et gravis  
 causae cognitio, eorundem principum nuntio,

in

152  
in quos sua maiestas non compromiserat, crederetur, ideoque diem huiusmodi repudiavit.

Attamen ubi dominus magister concordiam appetet, et ipsi principes, qui pacis conciliandae negotium sumpserunt, quorum adventum maiestas sua praestolatur, honestas conditiones non reiciant, vult maiestas sua regia se ita exhibere, ut sibi nihil imputari possit, sin minus, et bellum cui maiestas sua nec antea dedit, nec iam ullam datura est occasionem: si quod absit, si reinstaurandum sit, certo vobis persuadere debetis, suam maiestatem ne utiquam vos derelicturam, sed ut sine sibi dilectos subditos, contra quoslibet hostes regia protectione defensuram. Ac propterea duos ex auxiliis suis rei militaris peritiam habentes, ut vobis industria et consilio suo adsint, paucis familiaribus suis, qui vobis oneri esse non possint, comitatos, brevi est huc missura. Quae sibi vicissim certa fiducia et firma spe pollicetur, vos omnes et singulos erga maiestatem suam, et inclitum ipsius Poloniae regnum, non secus quam probos et integra fidei subditos, pro iurisdictioni vestri debito, honeste et irreprehensibiliter exhibituros, et sine induciarum appetente, in euentu si quod absit, pax non coeuerit, civitatem et propugnacula omnibus rebus necessariis instructuros, ac cuncta quae in eam rem conducibilia sunt, recte curaturos.